

qui Calabriam nostram olim habitabant, ostendimus urbes, præter quoque Rhegium, quæ Romano nomini fidelissimæ, Pœnis magna vi restiterunt. Unam Petelliam in medio ponimus, & quidem in Brutiis collocatam, de qua hæc Livius dec. 3. lib. 3. scribit: *Dum hæc in Hispania geruntur, Petellia in Brutiis, aliquot post mensibus, quam cœpta oppugnari erat, ab Hamilcone, præfecto Hannibalis, expugnata est; multorumque sanguine ac vulneribus ea Pœnis victoria stetit: nec ulla magis vis obsessos, quam fames expugnavit. Absumptis enim frugum alimentis, carnisque omnis generis quadrupedum, suvirinæ postmodum coriis, herbisque, & radicibus, & corticibus teneris, stricisque rubis, vivere. Nec antequam vires ad standum in muris, ferendoque arma deerant, expugnati sunt. Hinc ex Frontino Theatri Auctor apud Flore lib. 1. par. 2. c. 5. num. 177. expiravitque prius eorum tota civitas, quam ulla ex parte Romanæ societatis respectum reposuerit. Itaque Hannibali non Petelliam, sed fide Petiliæ sepulcrum capere contigit.*

Non pigeat post Petelliam aliquot Brutiorum urbes lustrare, earundenque fidem erga Romanos, & in Pœnos resistentiam, patefacere. De Consentia, loco nuper adducto, hæc Livius addit: *Recepta Petellia, Pœnus ad Consentiam copias traducit, quam minus pertinaciter defensam, intra paucos dies in deditionem accepit.* De Vibonensibus idem Livius scribit apud Flore, lib. 1. par. 1. cap. 3. *Vibonenses autem libentium agri depopulationem, urbisque terrorem pati, quam a Romanorum fide discedere voluerunt.* Demum missis aliis, observare juvat, Hannibalem, anno decimotertio sui in Italiam adventus, post Hasdrubalis mortem, ad Brutios se recepisse, non quidem tanquam  
ad